



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bibliotheca Scriptorvm Sacri Ordinis Cisterciensis Elogiis Plvrimorvm Maxime Ilvstrivm Adornata

Visch, Charles de

Coloniæ Agrippinæ, 1656

Epistola XXIII. Ad Abbatem Crispiniensem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38433

& de debito Euerardi, sicut ex parte nostrâ vobis dixerit, faciatis. Valete.

EPISTOLA XXII.

Ad Philippum Abbatem Præmonstratensem.

Commendat gratia ipsius, quondam communem illorum amicum.

A Mantissimo in Christo Patri & Domino, Philippo Dei gratiâ, Præmonstratensis Ecclesiæ Abbati, Fr. Philippus, salutem & dilectionem. Amicorum negotia nostra sunt, & eorum negotijs fidelem debemus affectum. Lator præsentium, charissimus nobis est, & laborem eius nostrum reputamus. Rogamus itaque dilectionem vestram, de qua plurimum confidimus, ut petitionem eius, pro amore Dei & nostro, benignè exaudiat. Superfluum videtur, ventri sua viscera commendare, & insinuare Paternis affectibus filium diligentem. Habet ordo naturalis hoc proprium, ut suis quisque necessitatibus applicetur, & sibi iunctis refundat prouidæ sollicitudinis adiumentum. Tribularet si nescirem misericordiæ pondus, & excellentiæ gratiam quam præstitit Deus habitatoribus pilæ huius, qua grauis præstat ut proficiant, & paleas separat à tramentis. Hoc donum possidet & possedit ab initio munere singulari, ut semper misericordiam superexaltet iudicio, & gloriosius iudicet parcere quam punire, nisi ubi qualitas causæ districtè tantum præbuit obsequelam. Præterea, consulimus, ut petitionem Archiepiscopi pro eo non auerferetur vestra benignitas, & quem petitionibus vestris vultis esse propitium, propitiationem alteri pro eius reuerentia dependatis. Rogat vos idem communis Frater noster Albertus, & plurimum salutem. Valete.

Bibliothec. Ord. Cisterc.

EPISTOLA XXIII.

Ad Abbatem Crispiniensem.

Commendat illi negotium quoddam, per presentium latorem intemandum.

Dilecto in Christo Patri, & amico venerabili, Dei gratia, Crispiniensi Abbati, Fr. Philippus de Eleemosyna, modicum id quod est. Amicitia fructus vicissitudo signat obsequij, benigna sedulitas, consiliolus affectus. Sine præiacente merito, recepimus hæc duplicia de manu vestra, & secretario cordis nostri insidet, quod nobis in nostris fecit vestra sinceritas. Condita sunt apud me, & signata in beniuolentiæ thesauris, ut tempore opportuno vestrum germinet iuxta beneplacitum, operis gratiam, bonæ voluntatis occursum, & impetrandi gratiam, pariter expecta benignitas. Preces iteratas vestræ porrigo charitati, ut negotium pro quo petimus, sicut (a) Fr. Gislebertus vobis intimauerit, benignè & efficaciter adiuuetis. Bene valete semper in domino.

EPISTOLA XXIV.

Ad Theobaldum Blesensium comitem.

Commendat protectioni ipsius, Religiosos & iura Canonij de eleemosyna, quod iam resignauerat.

Illustri Domino & amico, Theobaldo, Dei gratia, Blesensium Comiti, & Franciæ Senescalco, Fr. Philippus, salutem in vero salutari. Laboris & curarum pondere multiplici fatigatus, refugium desideratæ quietis elegi, ut qui mihi superlunt dies, multiplicentur in senectâ vberi, & in pace nostra peregrinatio finatur.

Yy

Pastora-

(a) Hic monachus erat Canonij de eleemosyna, ut patet ex epistola 25.